

DE ORTHOGRAPHIA LIBER. (C,S)

A littera, etiam nota praenominis est, cum *Augustum* sola significat.

B propinqua est *p* litterae, qua saepe mutatur, ut *supponit, opponit*.

C nota est praenominis, cum *Caesarem* significat; item numeri, cum *centum*.

D littera, propinqua est consonantibus his, *c g l p r m t*, quia hae succedunt in locum ejus, ut, *accipe, aggrega, alliga, appare, arripe, ammitte, attende*.

D nota praenominis, cum *Decium* sola significat; item numeri, cum *quingentos*.

L sola *Lucium* significat.

M sola, *Marcum*.

N sola, numerum; praeposita *G*, *Gneum*.

P sola, *Publium*, et cum *R*, *populum Romanum*; et subjecta *R*, *republicam*; et praeposita *C*, *P. C. patres conscripti*, sive *post consulatum*. *Q* littera, etiam nota est praenominis, cum *Quintum* sola significat; item honoris, cum *Quaestorem*; populi, cum *Quirites*.

T nota est praenominis, cum *Titum* sola significat.

V adjuncta *c*, cum virga jacente superposita, *Vir clarissimus*. *V* geminata cum virga jacente superposita, *Verbi gratia*. *V* geminata cum *c* duplici, *VVCC*, *Viri clarissimi*.

ANTE praepositio multa significat; nam et tempus significat, cum dicitur: *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit*. Et praesentiam, ut: *Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam*, id est, *coram gentibus*. Et dignitatem, ut: *Posuit Ephraim ante Manassem*; et: *Qui post me venit, ante me factus est*, id est, *mihi praelatus*.

AULA, Latine domus regia est, Graece ATRIUM dicitur; unde notandum quod in psalmo ubi legimus: *Adorate Dominum in aula sancta ejus*, non palatium aulae nomine, sed atrium Graeco vocabulo debet intelligi.

AUSCULTO suasori, et *ausculto* praecepta magistri. *Ausculto* autem et AUDIO, ex uno Graeco sermone vertuntur, quod est ἀκούω.

ARRHA Latine dicitur, ARRHABON Graece.

AGON Graece, Latine CERTAMEN.

Ἄρουρα Graece, Latine *arvum*.

Ἄσφαλτος Graece, Latine BITUMEN.

ACER, *acerrimus*, non *acerissimus*.

AGILIS, *agillimus*, non *agilissimus*; et in adverbiiis *acerrime* et *agillime*.

ADJUVO perfectae formae est,

ADJUTO frequentativae.

AUDEO, *audes*, perfectum facit, *ausus sum*.

ACERVO, AGGERO, ACCUMULO, ex uno Graeco verbo Σωρεύω.

AEGER, animo; AEGROTUS, corpore; utrumque per *ae* diphthongum scribendum.

ABOLEO, *abolevi*. ARCEO, *arcui*.

ALIBI, *alio loco*.

ALIAS, *alio* tempore significat; attamen invenimus *Alias* nonnunquam pro *aliter* sive pro *alio loco* positum.

ABSTINEO *me cibo*. ALIENUS SUM *crimine*.

ANTEIBAT *sapientia* Salomon *cunctis mortalibus*. Julianus ait.

ADMONEO *interfectorem caedis et caedem*.

AEQUALIS, alterius staturae par est.

AEQUABILE, quod aequari potest.

APPETENS *cibum*, et *appetens cibi*. Ambrosius: *Cancer ut appetens cibi, ita perspicuens est periculi*.

ACCUSO *sacrilegum*, et INSIMULO, ex uno Graeco venit Κατηγορῶ.

ANIMADVERTO *in te*, et VINDICO *in te*, ex uno Graeco Κολάζω.

AER, singulari numero tantum gaudet; et quamvis *aira* dicamus, tamen certis casibus non utimur.

AUTUMNUS generis masculini, et AUTUMNUM dicitur neutrum: utrumque numero singulari.

AURICHALCUM et ORICHALCUM dicimus; et hoc singulariter tantum: sic et caetera metalla.

AB, et Ex, praepositiones, si sequens verbum a vocali incipiat, integre efferuntur, ut *Ex oppido*, *Ab illo*. Si consonantes sequantur, extremam litteram perdunt, ut *e foro*, *a sacerdote*. Hae autem praepositiones ita differunt: cum dicit quis a theatro se venire, non ex ipso theatro, sed de loco qui est proximus theatro, se venire significat; qui vero ex theatro se venire dicit, ex ipso theatro significat.

AD, et IN, praefatis praepositionibus pares sunt contraria potestate, quia in forum ire est in ipsum forum intrare; ad forum autem ire, ad locum foro proximum; ut in tribunal et ad tribunal venire, non unum est, quia ad tribunal venit litigator, in tribunal vero praetor aut iudex. ANCILLOR, BLANDIOR et ADULOR, unum significant, quod est Graece Κολακεύω, et dativum casum trahunt.

AUFERO, EXIMO, ADIMO, SUBTRAHO, SUBDUCO, ex uno Graeco transferuntur, id est, ἀφαιροῦμαι.

ABDICO verbum potest accusativum nomen sive pronomen cum dativo trahere. Ambrosius: *Qui se abdicant saecularibus illecebris.*

ALIUS nomen dativum dupliciter effert, et *alii*, et *alio*. Habes in sacra Scriptura: *Et dico huic: Vade, et vadit; et alio: Veni, et venit.* Et rursum: *Et uni dedit quinque talenta; alii autem duo, alii vero unum.*

AEGYPTUM cum, in scriptura dividere vis, *p* sequenti syllabae junges.

ASPECTUM, *c* sequenti syllabae: AFFECTUM similiter, et AFFLICTUM, caeteraque hujusmodi.

ASSUERE, et ASSUMENTUM panni per *s*, non per *a* scribendum; similiter ASSUMERE, per *s*.

APPROPRIAT, per *p* scribendum; APPONIT similiter.

ACCURRIT per *c* scribendum, AMMINISTRAT per *m*; APPLICAT per *p*; ALLIGAT per *l*; ASSEQUOR per *s*.

ALLEVAT, per *l*; ASSIDUE per *s*; AGGREDIOR per *g*.

ASSARIUS ab antiquis dicebatur; nunc *as* dicitur, non *assis*. Sane *assis* genitivus est.

ALLIUM, et DOLIUM, per *i* scribendum, non per *e*, sicut *oleum*. Virgilius *allia*, *serpillum*, per *i* dixit.

AMBO, et DUO, neutraliter; AMBOS et DUOS masculine. Nonnulli tamen, Graecos secuti, dicunt *hos duo*, et *hos ambo*, quia illi τοὺς δύο, et τοὺς ἄμφω dicunt. Virgilius:

Verum ubi ductores acte revocaveris ambo.

ANGUIS, cum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminino Ovidius, Varro et Acinius.

ACER, facit pluralem *acri*; ACRIS, pluralem *acres*.

ABSCONDITUS, non *absconsus*.

ALTER, de duobus; UNUS, de pluribus. Quamvis legamus *Unus ex duobus*.

AUDACTER, Latinum est; sed AUDACITER melius, quia nomina *x* littera terminata, in adverbiiis *citer* assumunt, ut *atrox*, *atrociter*; *ferox*, *ferociter*.

ACCERSIT, qui evocat; ARCESSIT, qui accusat.

ACERVUS, moles est.

ACERBUS, immaturus aut asper.

ADFICIMUR honore, et ADFICIMUR injuria.

APPARET qui videtur, *apparet* qui obsequitur, non regulari ratione, sed discernendi gratia intellectus.

ARBOR omne lignum dicitur, ARBUSTA non nisi fructifera.

AVENAE, sterile germen; HABENAE, retinacula jumentorum: hoc de habendi potestate, illud de occupandi aviditate dictum.

ACCIDUNT *mala*, CONTINGUNT *bona*, EVENIUNT utraque.

ADVOCATUR daturus patrocinium, EVOCATUR praebiturus obsequium, INVOCATUR praestaturus auxilium.

ADPORTARE est aliquid afferre; COMPORTARE, in unum locum conferre; DEPORTARE, deponere; EXPORTARE, tollere.

AGNOSCIMUS quae a nobis exciderant, COGNOSCIMUS ignorata et invisa.

ALIUM, et sursum et deorsum significat.

AQUATAM *portionem* recte dicimus, quae aquam aliunde recipit; AQUOSUM autem *locum* qui ex se aquam fundat.

ALBUM naturae tantum est; CANDIDUM, frequenter et studii; nam et corpori et animo aliquoties assignatur: *albos* ergo *capillos*, *carnem candidam*, recte dicimus.

ALVUS virorum recte dicitur; UTERUS mulierum, VENTER in utroque sexu.

ACCEPTOR et ACCIPITER, Virgilius enim *Accipiter* dicit; Lucilius autem, *Acceptoris et unguis*.

APUD per *d* scribendum, CAPUT per *t*, quia facit *capitis*.

ARMARIUM, locus ubi quarumcunque artium instrumenta ponuntur.

ARMAMENTARIUM, ubi tantum teta armorum.

ACCEDIT, per *e*, ab ambulando.

ACCIDIT, per *i*, ab eventu.

B

BEELZEBUB, non *Belsebul*, aut *Belsebud*.

BELIAL, non *Beliar*.

BYRSA, Βύρσα Graece, Latine CORIUM.

BELLUS *bellissimus*, comparativum non habet; sed pro eo dicendum *magis bellus*, et e contrario *minus bellus*, id est, minus pulcher.

BUCCINA est qua signum dat buccinator. BUCCINUS, ipse canor ex hac editus.

BUCCINA pastoralis est, et cornu recurvo fit, unde et κερατίνα Graece vocatur, TUBA autem de aere vel argento efficitur, et solemnitatibus concrepat.

BAPTISMUS, *baptismi*, genere masculino; et

BAPTISMA, *baptismatis*, neutro; et

BAPTISMUM *baptismi*, aequè neutrum.

BARBAM hominis, BARBAS pecudum dicimus.

BUXUS, arbor est; BUXUM, materia ipsa.

BALNEUM veteres dixerunt, sive BALINEUM; nihil enim differt, sed in privatis; publicis autem feminini generis, et quidem numero semper plurali: frequenter *Balneos*.

BELLUAE, id est, ferae, per *b* incipiant.

BARATHRUM, singulariter tantum effertur. Sic autem vocabant gentiles locum apud inferos.

BLANDITIAE et BIGAE, sicut et TRIGAE, et QUADRIGAE, pluraliter tantum efferuntur; sed in nostrorum litteris scriptorum et *Bigam* invenimus, et *Quadrigam*.

C

CANA, et SIMON CANANAEUS per simplicem *c*.

CHANAAN et mulier CHANANAEA aspiratione addita.

Κυνομύια, per *y* scripta *caninam muscam* significat; Κυνὸς enim

Graece *canis* dicitur; Κοινομύια per diphthongum *oe*, *communem muscam*; Κοινόν enim

Graece, *commune* est: unde COENOBIUM a *communi* vita nomen accepit: quod in Exodo et in Psalterio imprimis translatum esse arbitramur, ut omnis generis musca significaretur, sed similitudine soni per incuriam contigisse ut *cynomia* pro *coenomia* scriberetur.

COITUS, generaliter omnis coeuntia; sive itineris, sive concordiae, sive connubiorum.

CARDUUS, trium syllabarum est, ut ARDUUS, FATUUS, MORTUUS; ideoque similiter declinandum est *hujus cardui*, *huic carduo* et *hunc*

carduum; pluraliter, *hi cardui, horum carduorum, his carduis*.

CUBICULARIUS, custos cubiculi.

CUBICULARIS vero lectus cubiculo aptus, ut *Caligarius artifex, Caligaris clavus*.

CLUNES feminino genere dixit Melussus; sed Verrius Flaccus masculino genere dici probat.

COMMODAMUS *amico pro* tempore *equum, vestem, servum, hanc ipsam rem quam dedimus recepturi*.

MUTUO DAMUS *pecuniam, triticum, vinum, et his similia, quae mutata recipi necesse est*.

CANITIES, non *Canitia* dicendum est.

CAMARA dicitur, ut Verrius Flaccus affirmat; non *Camera*, per *e*; sed Lucretius, *Cameris ex terelibus* dicendo, etiam *Cameram* dici posse ostendit.

CURRICULUS masculine; diminutio est a curru.

CURRICULUM autem neutraliter, spatium ad currendum aptum, vel ipsum currendi officium.

CLYPEUS, masculino genere, in significatione scuti ponitur; neutrali autem, imaginem significat; sed auctoritas utrumque variat.

CASEUS masculini generis est; sed Pomponius neutraliter dixit *Caseum molle*.

CUSPIS, *cuspidis*; non *Cuspes*.

CAPPARIM feminino genere dixit Varro; nam et Graece feminino dicitur ἡ καππάρις.

CASSIDEM dicimus nos ab eo quod est *haec Cassis*; sed multi *Cassidam* dicunt, ut et Propertius:

Aurea cui postquam nudavit cassida frontem.

Et Virgilius: *Aurea vati cassida.*

CAPO nunc, sed Varro, de Sermone Latino, ait: *Ex gallo gallinaceo castrato fit capus.*

CINGULA hominum gen. neutri est; nam et animalium genere feminino *has cingulas* dicimus.

CAPAX, qui facile capit; CAPABILIS, qui facile capitur.

COLLOCAT, per *l* scribendum; non *Conlocat* per *n*.

CALUMNIA est crimen falsum, cum nobis adversarius aut malum quod non fecimus objicit, aut bonum quod fecisse probamur in contrarium interpretari conatur.

CONSULO *tibi*, PROSPICIO, PROVIDEO, ex uno Graeco veniunt, quod est Προνοέω.

CONTEMNO *hostem*; DESPICIO, SPERNO, ASPERNOR, ex uno Graeco veniunt, quod est Καταφρονέω.

COMMEIO *lectum*, et

PERMEIO, *Comminxi* et *Perminaei*.

COMITOR *amicum*, et *amicis*.

CORINTHIUM *civem* dicimus, CORINTHIACUM vas.

COMINUS *gladiis* pugnamus; EMINUS *jaculis*, quia illud a manu non recedit, hoc e manibus emittitur.

CLYPEUS *armorum*; CLYPEUM imaginis est.

CADIT quis etiam *in plano*; DECIDIT *ex alto*.

CAERULUS naturae color est, CAERULEUS fingitur; ita alterum est, alterum fit.

CLARITAS tam luminis est quam perspicuitatis:
CLARITUDO generis: prior itaque splendoris, posterior nobilitatis est.

CRUCIATUS, est dolor corporis, vel cum homo ab altero cruciatur. CRUCIAMENTUM, quod cruciat.

CERNO et CRESCO, in eundem perfectum cadunt, CREVI.

CAEDO, *Cecidi*, per *ae* diphthongum: *Caeditur et tilia ante jugo levis*, Virgilius.

CEDO, *Cessi*, per *e* simplicem.

CUPIO, *Cupivi* facit, et *Cupii*. Cicero pro Cluentio: *Et filium et hunc, cum maxime filium interfectum cupiit; pro Cupivit.*

CALUMNIOR *innocenti*, non *innocentem*; tametsi quidam interpretum, Graecam locutionem secuti, accusativum posuerint, dicentes: *Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

CUR adverbium saepius indicativum verbum trahit. Greg.: *Discutiendum est cur quadam die factum aliquid coram Domino dicitur.*

CLAVUS similiter, quae est purpurata vestis, et declinatur genere feminino.

CALLUM quoque et COENUM sing. numeri sunt.

CANI, CANCELLI, et CASSES, singularem numerum non habent.

CASSES autem retia dicuntur.

CAULAE, similiter CERIMONIAE; CUNAE et COMPEDES; et in neutro genere, CASTRA, CIBARIA, CREPUNDIA, CUNABULA.

CRUOR plurale non habet, Virg. plurali: *Atros siccabat veste cruores.*

CONTAGIUM, et CONTAGIA, neutro genere sunt dicenda; et *haec* CONTAGIA, feminino.

COMOEDIA, carmina quae in conviviiis canuntur, quia comessatio Graece Κῶμος dicitur.

Κάρταλλος Graece, Latine FISCELLA.

CALAMUS Graece, Latine ARUNDO.

CANON Graece, Latine REGULA.

CADOS Graece, Latine SITULA.

CUNABULA sunt panni infantiae; sed Joannes Constantinopolitanus episcopus scribit, Lazarum in monumento cunabulis involutum.

CANTATOR et CANTATRIX, a verbo *Canto*. A verbo *Cano*, recte dicitur CANTOR atque CANTRIX.

COMBURO, per *m* scribendum, non per *n*.

COMPARO similiter et COMPONO, caeteraque hujusmodi.

CONSPECTUS cum in scriptura dividendum est, *c* sequenti syllabae junges.

COMPLACEO, non *Conplaceo*; COMMORATUS, non *Conmoratus*. Comprehendo, per *m*.

CAMELUS, per unum *l* scribendum.

COMMODAT, et COMMENDAT per *m*.

COMPUTRESCIT, per *m*. COMPLURES, per *m*.

COLUMNA cum in scripto dividenda est, *m* sequenti syllabae nectis. CALUMNIA similiter.

CELO, *celas*, id est, abscondo, per simplicem *e* scribendum.

CAELO, *caelas*, cum picturam significat, per diphthongum *ae* scribendum; unde *caelum* melius intelligitur dictum, ab eo quod, caelati instar, multifaria

sit siderum varietate depictum, quam quod invisibilia et incerta mortalibus celet arcana.

CANTHARUS, animal est; CANTHARUM, camera, domus.

CLAMO, clamoris simplicis est; CONCLAMO, simul cum multis est; etiam ACCLAMO murmurandi est. PROCLAMO, laudandi vel deprecandi exsultatio. DECLAMO, rhetorizandi. EXCLAMO, quando pro viribus vocem elevo.

CURRO, hoc tantum significat, quod in itinere positus, nullam facio comperendinationem. CORSO autem, paulo citius, aliqua necessitate extorquente, festinare cogor; CURSITO vero quando hostem me insequentem fugio.

CIRCA, ad visibilem materiam, vel locum, pertinet. ERGO autem ad animum spectat, maxime cum aliquem propensiolem affectum gerit. CIRCUM ad tempus refertur. CIRCITER ad numerum.

CARCER, ubi homines coercentur, singulariter.

CARCERES, unde currus effunduntur: utrumque masculine.

CEPIT, de *Capiendo* per simplicem *e* scribimus.

COEPIT de *Incipiendo* per diphthongum *ae*.

COEPTA, per diphth. INCEPTA per simplicem *e*.

COLUMBAE, quae mansuetae fieri possunt, et domibus assuescere. PALUMBES, ferae, et saxis silvisque inhabitantes.

CONSCRIBERE est multa simul scribere.

EXSCRIBERE quod aliis sit transferre.

TRANSCRIBERE, cum jus nostrum in alium transit.

INSCRIBERE, accusationis est. ASCRIBERE,

assignationis est. DESCRIBERE, dictionis vel ordinationis.

CONSUESCIMUS *bona*; INSUESCIMUS *mala*; ADSUESCIMUS utraque.

CRASSARI, corporis est et saginae; GRASSARI, animi et crudelitatis.

D

DILIBUIT unguento, non *Delibuit*.

DISERTUS, orator est; DESERTUS, derelictus.

DELATOR, qui defert ad accusandum.

DILATOR, qui differt ad proferendum.

DELUIT, purgat; DILUIT, temperat.

DEDUCO, de amico producendo.

DIDUCO autem est distraho.

DIMIDIATUM *calicem bibi*, non *Dimidium* dicere debemus, non enim ipsum vas bibis, sed quod intra vas est.

DONAMUS et illud quod damus, et illum cui damus.

DELICTUM, peccatum aliquid dicimus.

DELECTUM, militiae, aut alicujus examinis electionem appellamus, nam et DILIGI affectionis est: DELEGI, iudicii.

DAEMON per diphth. notandus; Deus, per *e* solum.

DAMNATUS et ADDICTUS, et ABSOLUTUS.

Virg. *Quem damnat labor*, id est, virtus sua absolvat, aut victorem faciat.

DOLIUM, per *i* scribendum; non *Doleum*, per *e*.
DILECTIO et DILIGO, per *i*; et quae declinantur ex eis
per *i* scribenda.

DOMUNCULA, conclavium domus; DOMICILIUM,
nidum avis.

DESCENDO *montes* dicere potes, id est, per montes, vel
in montes. *Descendo scalas*, aut *piscinam*, id est, per
scalas, et per piscinam.

DEGREDIOR *monte* dicimus recte, et significamus de
monte.

DISCRUCIOR et CRUCIOR *animi* et *animo* et *animum*.

DECUS, honoris; DECOR, formae est.

DELICIAE et DIVITIAE non habent numerum
singularem.

DENARIUS, Latine, masculini generis est;
DENARION, Graece, neutri.

DIALOGUS Graece, DISPUTATIO Latine.

DRAMA Graecum, neutri gen., Latine, FABULA.

DEFUNCTUS, cum in scripto dividitur, *c* sequenti
syllabae jungenda.

DIDYMUS, id est, geminus, prima syllaba *i*, secunda
per *y* scribenda.

DELIRAMENTUM, non *Deleramentum*, quia a
verbo *Liro*, id est, sulco, originem trahit, et sicut boves,
cum a recto sulcandi actu declinant, delirare dicuntur, sic
et homines qui de bonis ad mala corda divertunt.

DILUCULUM, non *Deluculum*, quia modicam diei
lucem ostendit.

DESIDERIUM est rerum absentium et nondum
adeptarum; CONCUPISCENTIA, utrorumque.
Concupiscuntur enim quae habentur et quae non

habentur, nam concupiscendo fruitur homo rebus quas habet, desiderando autem absentia concupiscit.

DITO, DIVITO, id est, locupletio, Graece, Πλουτίζω.

DECORIO, *Decoriaui*, et DECUMO, *decumavi*, unum est, Graece, δεκατῶ.

DIMITTERE est derelinquere, DEMITTERE est deorsum mittere, velut: *Quis demisit lapidem angularem ejus.*

DOMINOR *tui et tibi.*

DOGMATA Graece, Latine DECRETA;
DOGMATIZO, decerno, sive censeo.

DUM, conjunctio, aliquando indicativum verbum trahit. Greg.: *Nescientia dum novit, et non diligit, inflet.* Item: *Dum intuetur quod illa aliquando non habuit, temperet dolorem quod amisit.*

DOLEO *vicem tui, et tuam, et Doleo tibi.* Greg. papa de Benedicto patre: *Cum persecutorem suum amaret, magis illi quam sibi doluit.*

DUM conjunctio, aliquando modum conjunctivum, aliquando trahit indicativum, ut: *Dum anxietur cor meum;* et: *Dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Et beatus papa Gregorius: *Amici ergo beati Job, dum percussorum genera distinguere nesciunt, percussum pro culpa crediderunt.* Item aliquoties DUM *ut* significat, ut Poeta:

Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas.

DESPERATUS, per *e* scribendum; DISPERSUS per *i*.

DISCEDO, per *i*; DESCENDO, per *e*.

DIASTOLE Graece, Latine INTERDICTUM. Est autem nota ad pedem litterae posita, quae male conjuncta separet, ne puer legens erret; ut:

Libera per vitreos movit vestigia campos.

DOMUS ablativum casum dupliciter effert; et in o videlicet et in u, sed a *Domo*, genitivus pluralis fit *Domorum*; a *Domu*, *Domuum*.

E

EGEO *victus* et *victum* et *victu*.

ERIPIO *flammae hominem*.

EGREDIOR *domo* et *civitate*.

ERROR, est rei vitium, ut, AMOR, DOLOR, ERRATIO, certae viae; ERRATRIX, ad personam respicit, ut: *Venatrix erratica hedera vitii*.

ELOQUENTIA, et ELEGANTIA, singularia semper EXUVIAE, EXSEQUIAE, EXCUBIAE, quae Graece νυκτοφυλάκια dicuntur.

EXTA quoque tantum pluraliter.

EMPORIA, feminino genere, et est Graecum; Latine, MERCATUS.

EMOLUMENTUM, per *e* simplicem scribendum.

AEMULATIO, per *ae* diphthongum.

EQUO *sedeo*, dativo casu et ablat., sine praepositione dicendum; et EQUUM *sedeo*, accusativo; et *in* EQUO, et *super* EQUUM similiter.

EMANAT *fons*, sive *terra*, *aquam*, id est, gignit ac producit; et EMANAT *aqua de fonte*, sive *de terra*; id est, profluit. Greg. *Qui locus a Romana urbe quadraginta ferme milliaribus distans, frigidus ac perspicuas emanat aquas*. Et iterum de eodem sepulcro: *Illius flagrantia suavitatis emanavit*.

EXPROBRAT qui commemorat quae praestitit.

OPPROBRAT qui opprobrium objectat, hoc est vitium.

EXSPECTATUR venturus; SPECTATUR qui videtur, vel probatur.

EXERCITUS *laboribus*; EXERCITATUS *studiis*.

EXSTRUERE est in altum struere.

INSTRUERE *aciem* vel *actionem*; ADSTRUERE, adfirmare, CONSTRUERE, instruendo conjungere;

SUBSTRUERE, re aliqua supra posita subterstruere.

EXCUBIAE, per *b*, EXUVIAE per *v* scribendae.

EORUNDEM et EARUNDEM, per *n*, non per *m*, exprimenda.

F

FIMBRIA genere feminino, et FIMBRIUM dicitur neutro.

FIDES, *fidei*, de credulitate.

FIDES, *fidis*, de chorda; utraque est longa.

FLEMINA sunt ubi abundant crura sanguine;
FLEMINAS, cum in manibus vel in pedibus callosis
sulci sunt.

FASTUS, de superbia, facit *fastuum* genitivum
pluralem.

FASTUS, de libris, facit *fastorum*.

FUNGI, agere est; DEFUNGI, peragere.

FREMOR est murmur hominum; FREMITUS, ferarum.

FLAVUM, dicimus rubeum; sicut, *flava Ceres*.

FURVUM, nigrum.: FULVUM, nigro-rubeum;
sicut *fulvum leonem* dicimus, *fulvam aquilam*, et *fulvum
aurum*, et *fulva pugna*; sed et nubem tuentem, quae
haberet igneum aliquid de coelesti, et sordidum de
lugubri.

FULVUM certe aurum cui ad decorem splendoris sui
nigelli aliquid addatur.

FORUM, neutro genere, dicimus locum rebus agendis
destinatum, vel cum commercium significamus.

FOROS, masculine tabulata navium, ubi
remiges sedent.

FORNAX, genere feminino dici debet, quia per
diminutionem facit *fornacula*, non *fornaculus*.

PHALANX, militum dicitur; phalanga, fustis, cui quid
deligatur.

FEDUS, quod est deformis, per *e* solam scribendum;

FOEDUS, quod est pactum, cum *oe* diphthongo
scribendum.

FORMOSUS, sine *n*, sicut speciosus.

FRUCTUM cum dicimus, si scribitur, *c* secundae
syllabae junges.

FACTUM et FICTUM, similiter, et caetera hujusmodi

FALSO, et nomen, et verbum, et adverbium est. Nomen, ablativi casus, *ab hoc falso*; verbum, primae conjugationis: *falso, falsas*; adverbium, ut *falso loqueris*.

FLAGITIA, quae in Dominum peccamus; facinora, quae in hominem.

FLAGRO *amore*, et ARDEO *amore*, ex uno Graeco venit καίομαι.

FIDENS *sum animi et animo*.

FIDUS, amicus erit; FIDELEM, famulum dicito; item *fidelis sit*, ut domino servus; *fidus*, natura; ita alter tempore cognoscitur, alter semper invenitur.

FIMUS et FUMUS, pluralem numerum non habent.

FAMES, similiter, FENUM et FEL. FUR, FURES, et FRENI, masculina semper pluralia; sed et *frena* et *frenum* invenimus.

FAR, FRUMENTUM, et caetera frugum nomina, semper singularia, quamvis *frumenta* et *hordea* legamus.

FAUCES, singularem non habent, quamvis et *faux* invenimus.

FIDUS, *fidissimus*, comparativum non habet, sed pro eo dicendum, *magis fidus* itemque e contrario, *minus fidus*.

FACILIS, *facillimus*, non *facilissimus*; sic et *difficillimus*, et in adverbiiis FACILE, *facillime*; et DIFFICILE, *difficillime*, *difficilius*; nec dicimus *faciliter*, aut *difficiliter*, tametsi veteres dixerunt.

FULGEO et FULCIO eundem habent perfectum *fulsi*.

FRICO, *fricas, fricui*. FRIGO, *frigis, frixi*.

FACINUS et FACINORA, non solum peccata, sed aliquando etiam bona opera designat, nomen a *faciendo* figuratum.

FRATRES dicuntur non solum mares ex eisdem parentibus nati, sed etiam masculi et feminae, sive plures utriusque sexus, eodem patre et eadem matre generati, fratres promiscue vocantur.

G

GULA dicendum, non *gyla*, quia *y* litteram nulla vox nostra adsciscit.

GOBIUS, piscis, nonnunquam legitur *gobio*.

GAUDIUM, animi laetitia; EXSULTATIO etiam verborum atque membrorum.

GREMIUM, dicimus interius, accinctum vestis secretum; SINUM exterius sinuatae vestis receptaculum.

GLUTEN, neutri generis, *glutinis*, *glutini*, sed et *glutinum* Sallustius dicit, *glutini*, *glutino*.

GITH, monoptoton, et pluralem numerum non habet; est autem neutri generis, et per omnes casus declinatur.

GRACILIS, *gracillimus*, non *gracilissimus*.

GAUDEO, *gaudes*, perfectum habet *gavisus sum*.

H

HILARUS facit pluralem *hilari*.

HILARIS, pluraliter *hilares*.

HOSPES, et qui recipit, et qui recipitur.

HORRENDUM dicimus et despicabile aliquid, et admirandum: ut *Oculos horrenda in virgine fixos*.

HERBIDUM locum dicimus in quo herba est, etiamsi aridus esse consuevit.

HERBOSUM, qui herbam facile generat, et si ad tempus aridus sit.

HAURIO et HAUSTUS per aspirationem scribenda.

HARENAM similiter, quia ab *haerendo*, vel ab *hauriendo* aquam dicta est.

HEBESCIT, qui a naturae usu tepescit; HEBETESCIT, qui amittit aciem.

HI, pronomen plurale, per unum *i* scribendum.

HIS, similiter per unum *i*.

HOLOCAUSTOMA numero
singulari, *holocaustomata* pluraliter.

HAMO, *hamas*, et nomen HAMUS cum aspiratione scribenda, sic et INHAMO, et perfectum *inhamavi*.

HERBESCIT ager, cum herbam generat; sicut adolescit et pubescit, cum spicae proximant.

HUMILIS contrarius superbo dicitur, et est virtus animi, et contrarius sublimi, quod est conditionis. Sed et locus humilior, qui inferius jacet, solet appellari humiliatus; etiam in pressuris afflictus appellatur.

I

INTEMPESTA *nox*, est media nox, quando quiescendum est; hinc utique dicta, quia inopportuna est actioni vigilantium. *Tempestivum* enim veteres dixerunt *opportunum*, et *intempestivum*,

inopportunum, ducto a *tempore* vocabulo, non a perturbatione aeris, quae consueae *tempestas* vocatur. Quanquam isto verbo licenter utantur historici, ut dicant *ea tempestate* quod volunt *eo tempore* intelligi.

IMMATURITAS, nocturnum tempus est, quod non est maturum, id est opportunum, ut agatur aliquid vigilando, quod etiam vulgo dicitur *hora importuna*, Graece ἀωρία. Praeveni in *im maturitate*, ἐν ἀωρία. Nihil vero interest ad sententiam, utrum *maturitate* an in *maturitate* dicatur, quomodo nihil distat, utrum quis dicat, egisse se aliquid *galli cantu*, an in *galli cantu*.

INTERIOR, et INTIMUS, non habet positivum gradum. INFERIOR et INFIMUS, similiter.

IPSUM, neutro genere dicendum, non *ipsud*, ut ILLUD et ISTUD, quemadmodum veteres nominativum masculinum non *ipse* dicebant, sed *Ipsus*.

IMPINGO, facit perfectum *impinxi*, et *impegi*.

IMMUNES *periculi*, et IMMUNES a *periculo*.

INDIGUS et PRODIGUS per unum *u* scribenda

INDIGA et PRODIGA, sine *u.* Augustinus: *Avaritia pecuniam congregat, luxuria spargit; ista indiga est, illa prodiga.*

INCREDIBILE, quod credi non potest.

INCREDULUS, qui credere non vult.

IN, praepositio, significat modo id quod et *valde* adverbium, et vim verbi cui praeponitur auget, ut, *increpuit, insonuit, infregit*; modo quod *non*, ut *invalidus, infirmus*; modo ponitur pro eo quod est *inter*, ut *Benedicta tu in mulieribus*; modo pro adversus, ut, *duo in tres, et tres in duo dividuntur*; modo pro spatio temporali, cum significat *usque*, ut dicimus *a mane in noctem*, et volumus intelligi *usque in noctem*.

INTEREST et REFERT, pro distare, unum idemque significant, quod Graece dicitur *διαφέρει*, dicimusque ita: *interest mea, et refert mea; interest ejus et refert illius; interest et refert nostra, interest et refert illorum.*

IMPLEOR *vini et vino.* INTUEOR *te, et in te.*

INCURRO *te, et in te; incurri et incucurri.*

INVIDEO *divitem, INVIDEO ei pulchritudinem.*

IRATUS, ex offensa est; IRACUNDUS, natura; itaque ira repentino motu nascitur.

IRACUNDIA perpes vitium est.

IGNIS, ablativum et in *e* et in *i* mittit.

INTESTINA et INCUNABULA, pluralia semper.

INSTAR *illius rei* dicere debemus, non *ad instar*.

ILLUVIES sordidum est, INGLUVIES ventris; illud a *non lavando*, hoc ab *ingluendo* dictum.

INSITA *arbor* est, cui incisae alienum germen includitur. ADSITA, cui incolumi aliud quod sustineat adjungitur.

INVIDEO *tibi divitiis*, non *divitias*.

INERMUS facit pluraliter *inermi*; INERMIS, pluraliter *inermes*.

ILLIUS *similis*, ad mores refertur; ILLI *similis*, ad vultum.

INVIDUS, qui invidet; INVIDIOSUS, qui invidiam sustinet.

IDEM, correpte neutrum; IDEM, producte masculinum in utroque numero.

INTERPRETOR, et quae derivantur, sive declinantur ab eo, per simplicem *e* scribendum.

IMBERBI dicuntur, non *imberbes*; sic etenim Varro: *Imberbi juvenes*. Sed et Cicero: *Imberbum perduxit*, non *imberbem*. Titus Livius autem *imberbis* singulariter

IMPUTRIBILE, per *m* scribendum, non per *n*. IMPONO et IMMITTO similiter, hujusmodi similia.

IRRIGO, non *inrigo*. IMPLEO, non *inpleo*.

IMMUNDUS, non *inmundus*.

INQUILINI, non habentes propriam domum, habitant in alieno.

INCOLAE, sive ADVENAE, utique ex uno Graeco verbo, quod est *πάροικος*, in sacris litteris interpretata habemus; ex his derivantur nomina INCOLATUS et INQUILINATUS. Trahit autem INQUILINUS, sicut et PEREGRINUS, nonnunquam nomen dativi casus, ut Augustinus de reprobis: *Sunt autem et ipsi peregrini et inquilini huic terrae, sed non de populo Dei*.

IMPONERE est rem aliquam sive corporalem seu incorporalem alteri rei superponere,

sed *imponere pro fraudem facere* aliquando dicitur; unde *impostura* vocatur; cum argentum vel aurum viliori metallo adulteratur; et qui hoc facit, *impostor* vocatur; unde etiam vulgo qui aliquid fraudis facit, aut simulationis, *impostor* solet appellari. Gregorius papa: *Coepit illum simulatorem et, verbo rustico, impostorem clamare*. Unde habes et in sacra Scriptura: *Quare imposuisti mihi; nonne pro Rachel servivi tibi*. Et in Regibus: *Quare imposuisti mihi; tu es enim Saul*, hae est: Quare me in simulatione decipere, et fraudem facere, voluisti. Et Augustinus: *Et ideo sibi miser imponit; sibi enim fraudem facit, qui perdit meliora, amando pejora*.

J

JOCUM, singulariter neutrale; pluraliter *hi joci*, et *haec joca*.

JUGA *montium*, pluralia semper; JUGUM enim est jumentorum. Sed Virg.: *Hoc superate jugum*.

JUVENTUS sicut et SENECTUS, plurali numero non flectitur.

JUVENIS et JUVENIOR non recipiunt superlativum: sicut nec SENEX, nec SENIOR. Solent autem JUNIOR et SENIOR ad se invicem dici minor et major, etsi neuter ipsorum senili accessit aut propinquavit aetati. Ambrosius: *Junior est herbis sol, junior feno*.

JUVENTUS, ubi multi juvenes dicuntur; JUVENTAS, unius hominis aetas; JUVENTA, ipsa dea (ut Graeci dicunt, aut poetae) Junonis filia, uxor Herculis, a qua Junium mensem appellatum in libris Fastorum legimus.

L

LARGE et LARGITER, Julius Modestus utrumque recte dicit; sed large esse qualitatis, largiter quantitatis.

LIBIDINOSUS, a *libidine*, per *b*.

LIVIDUS, a *livore*, per *u* proferendum.

LARBA, per *b*.

LUDIFICOR *stultum*, et DELUDOR, quia veniunt ex uno Graeco ἀντιπαίζω, praeteriti perfecti, *ludificatus sum*. Veteres vero *ludificavi* dixerunt.

LABIUM superius dicitur, LABRUM inferius; ROSTRUM non nisi quod incurvum est.

LATERE et ABSCONSUM ESSE aliquid dicimus, et LATE PATERE. Virg.: *Et scuta latentia condunt*.

LEPUS animal est, LEPOS, jucunditas, voluptas; unde et gratum aliquid *lepidum* dicimus.

LIMEN aedium est, LIMES regionum.

LARGITAS humanitatis est, LARGITIO, ambitionis.

LIGAT quis *vinculo*, LEGAT *testamento*.

LOQUI, hominis est; OBLOQUI, obtrectatoris, sicut OBJICIT, OPPONIT; ALLOQUI, persuadentis, hortantisque vel jubentis; ELOQUI, oratoris.

LAURENTIUS, CAELIUS, et talia plura, quae nominativum casum in *ius* habent, genitivum singularis numeri in *ii* duplicem mittunt, vocativum singularem in simplicem *i*, ut *hic Laurentius, Caelius; hujus Laurentii, Coelii; o Laurenti, Coeli*; sic et *hic filius, hujus filii, o fili et hi filii*; aut certe vocativum in *ie*, ut *hic impius, hujus impii, o impie*. Notandum sane in Actib. apost. ubi Cornelius vidit angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi: *Corneli*; hic vocativus recte per simplicem *i* profertur; in Graeco autem per *ie*, *Cornelie*, scriptum est.

LIMUS, LUX, LABES, LAETUM, pluralem numerum non habent.

LIBERI, quando filios significat, et LATEBRAE, singularem non habent.

LAC, LIQUAMEN, LENTICULA, LENS, singularia semper.

LOCUS, singulariter masculinum; pluraliter *haec loca*.

LUTER, Graecum, λουτήρ masculini generis, Latine LABRUM dicitur.

LUCEO et LUGEO, in eundem perfectum deveniunt, *luxi*.

LIBERO *te periculo*, LIBEROR *a molestia*.

LINO vel LINIO, facit praeteritum *linui* et *linivi*.

M

MARGARITA, feminino genere, et MARGARITUM, neutro dicendum. In Proverbiis: *Inaures aurea, et margaritum fulgens.*

MALOGRANATUM, et MALUM GRANATUM consuecte dicimus, et utroque modo declinantur, hoc modo: *malogranatum, hujus malogranati, et haec malogranata, horum malogranatorum, his malogranatis, etc.*; et rursum: *hoc malogranatum, hujus malogranati, et haec malagranata, horum malorum granatorum, etc.*

MISERET *me* *senis*, MISEREOR *senis*, et MISEREOR *senem*; MISERTUS *pauperis*, per genitivum; MISERATUS *pauperem*, per accusativum. MISEROR autem *compatior* significat, denique Graece dicitur συμπάσχω.

MEREO honorem, et MEREOR; et miles MERET stipendium.

MEMINI, et MEMOR SUM *honoris* et *honorem*.

MARITIMA, sunt loca mari vicina; MARINA, navis, vel bellua.

METO *metui*, et METUO.

MATERIES artificiorum, MATERIA consiliorum. Alii contra referunt materiem esse animi, materiam arboris; materiem qualitatem ingenii, materiam fabris aptam.

MAS, in positione, MASCULUS in diminutione; non *mascellus*, ut quidam.

MUSCUS, herba quae in parietibus, vel in corticibus arborum haeret, singulariter tantum effertur; MEMORIA, MALITIA, MURMUR similiter.

MINAE, MANUBIAE, MOENIA, MAGALIA, quae sunt casae Afrorum, pluralia semper.

MARE pluralem numerum non habet, nisi tantum *maria*.

MEL et MULSUM, et MURIA, id est γάρος, et caetera liquida pretiosa, tantum singularia, quamvis mella et vina legamus.

MATURE, *maturius, maturissime* dicendum; invenimus tamen apud auctores etiam *maturrime* dictum.

MUNIO, *munis*, perfectum facit *munii* et *munivi*.

MEMINI, *meministi, meminit, meminimus, meministis, meminerunt*, et praesenti tempore et praeterito perfecto uno eodemque modo declinatur, ideo corruptum sive defectivum vocatur.

MULCEO et MULGEO, in unum perfectum perveniunt *mulsi*.

MAJESTAS cum scribis ac dicis, *s* sequenti syllabae copulari debet, sic in similibus.

MIRAMUR *opera*, ADMIRAMUR *virtutes*.

MINORES esse res aliquas aut homines dicimus.

MINORIS emptum aut aestimatum quidpiam recte scribimus.

MEMINI *me facere* dicendum; non MEMINI *me fecisse*, nam *memini* sermo est totus praeteriti temporis, qui anteactam rem in praesens revocat; et si dixeris *Memini me fecisse*, duo praeterita simul jungis.

Virg., uno tantum loco:

Namque	sub	Aeoliae	memini	me	turribus	altis
Corycium			vidisse			senem,

quod poetae pro necessitate metri usurpare licuit.

MERACAM potionem dicimus quae merum aliunde recepit, MEROSUM autem vinum appellamus.

MULIEBRE dicitur a muliere aliquid factum; MULIEBRIARIUM per mulieres ordinatum, et per viros gestum.

MERULA, non *merulus* dicendum.

MATTHAEUS et MATTHIAS per duo *t* scribendum, quia Graeci per τ et θ scribunt.

MOESTUM *animo*, TRISTEM *aspectu* dicimus.

MALUS navis, masculinum;

MALUS, arbor frugifera, femininum est.

MENDUM neutraliter. Varro in admirandis dixit: *magnum mendum*; sed Ovidius feminine; *Nocte latent mendae*. Item:

Eximet ipse dies omnes e corpore mendas.

Ergo MENDUM in mendacii significatione dicitur; MENDA, in culpa operis vel corporis.

MUNIFICUS, est tanquam BENEFICUS et MALEFICUS; MUNIFEX autem tanquam OPIFEX et ARTIFEX; itaque munificus munera largitur, munifex autem munere fungitur.

MORTICINA non dicuntur nisi mortuorum, mortalia vero etiam viventium corporum nomen est.

NIMIS dicitur quicquid plus fuerit quam oportet; nam *parum* est quod minus est quam oportet; et horum in medio modus est, quod dicitur: *Satis est*. Cum itaque utile sit in vita et moribus ut amplius quam oportet nihil omnino faciamus, profecto veram esse sententiam *Ne quid nimis* fateri potius quam negare debemus. Sed aliquando Latina lingua hoc verbo sic abutimur, ut *nimis*, pro eo quod est *valde*, et positum inveniamus in litteris sacris, et ponamus in sermonibus nostris. Nam et in Psalmo: *Tu praecepisti mandata tua custodire nimis*, non nisi *valde* intelligimus, si recte intelligimus. Et *nimis te diligo*, si alicui charissimo dicimus, non utique plusquam oportet, sed valde nos diligere intelligi volumus. Denique illa Graeca sententia, *Ne quid nimis*, non habet verbum hoc quod hic legitur: ibi enim est ἄγαν, quod est *nimis*; hic autem σφόδρα, quod est *valde*. Sed aliquando, ut diximus, pro eo quod est *valde*, et dictum invenimus, et dicimus, unde etiam nonnulli Latini Codices non habent: *Tu praecepisti mandata tua custodire*.

NOCEO, OBSUM, INCOMMODO, MALEFICIO, OFFICIO, in una significatione ponuntur, quod Graece dicitur Βλάπτω, et cuncta dativum casum trahunt.

NULLUS est tam in re quam in persona.

NEMO in persona dicitur, ut *ne homo*.

NATALES, id est nobilitates.

NUPTIAE, NONAE, NARES, NUNDINAE, NUGAE, NANIAE, pluralia tantum; et *nar* invenimus; nenias autem dicunt epitaphia, id est carmina quae in memoriam mortuorum in tumbis scribuntur.

NEQUAM et NUGAS omnis generis et numeri sunt, et per omnes casus currunt, semper aequaliter dicta: quamvis Augustinus dicat, *nugae*, *nugarum*, *nugis*; ferunt autem, quia nugas Hebraeus sermo sit, et idem apud eos quod apud nos significat, id est levis et pravae mentis homines.

NOVI, *nosti*, *novit*, *novimus*, *nostis*, *noverunt*, sic declinantur praesenti et praeterito perfecto, cui similia sunt, ODI et MEMINI.

NOCEOR, *noceris*, recte dicitur, quamvis aliqui grammaticorum asseverent non debere dici *noceor*, sed *nocetur mihi*; neque enim Hieronymus grammaticorum regulam ignorabat, qui in propheta Habacuc ita transferre non timuit: *Et non salvabis, dum noceor*.

NECTO, *nexi* praeterito.

NOCTU temporis est adverbium, NOCTE nomen est.

NUBUNT feminae; vir enim ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput genasque.

NONGENTOS, non *nungentos*, a *novem*.

NEQUAM, non *malum* significat, sed *inutilem*.

NUBO, *nupsi*. NUPTIAE. Cum vocalis sequitur, *b* debet esse; cum consonans, *p*.

NASCITUR quod utero decedit, ENASCITUR quod de terra ac de aqua exsurgit.

NIHIL, adverbium est; NIHILI nomen; homo enim nullius momenti *nihili* dicitur.

NAVIS, unius ratis nomen est; NAVIGIUM, omnis classica profectio.

NAUCLERUS, omnis consortii, NAVALIS exercitus, NAVIGATOR, ipse primarius profectionis; NAUTA vero, omnis qui laborem facit navigandi.

NAVIS ablativum per *e* et per *i* effert.

O

ORGANUM unius musici proprie nomen est, sed generaliter omnia musicorum vasa *organa* possunt dici. Joannes Constantinopolitanus episcopus: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*; id est, citharam, psalterium, lyram, etc.

ORGANARIUS autem est qui utitur organo.

OBRIZA, *obrizae*, generis feminini; et

OBRIZUM, *obrizi*, neutri.

ORIGO, *originis*, initium est.

ORIGO, *origonis*, neutrum est, et est velum navis, et habet in plurali numero *origona*.

OBTINEO *laudem*, et IMPETRO, ex uno Graeco venit ἀντιτυγχάνω.

ORJURGO, INCREPO, CORRIPIO, ex uno Graeco transferuntur ἀντιπλήττω.

HOMILIA Graecum est, Latine SERMO vel COLLOQUIUM.

OTIUM et SILENTIUM, ex uno Graeco, id est, ἡσυχία.

ORDIBO et ORDIAR telam, utroque modo dixerunt.

OSTREA, feminino genere, non *ostreum* neutrali.

OCIMUM consuetudo neutraliter dicitur; sed melius
Macer ait:

Inter praeteritas numerabitur ocimus herbas.

ORDIOR *hanc rem*, et INGREDIOR, et INCIPIO, ex
uno Graeco venit, quod est ἄρχομαι.

ONUS jumentorum, SARCINA est hominum.

OPTIMATES, qui Graece
dicuntur πρωτοπολῖται, pluraliter solum proferuntur.

OBLITUS *nostri*, non *nos*; veteres tamen et hoc modo
dixerunt.

OLIVA, arbor est; OLEA, fructus; OLEUM, liquor.

ODI, *odisti*, *odit*, *odimus*, *odistis*, *oderunt*, et praesenti
perfecto et praeterito-perfecto tempore sic declinatur;
ideo defectivum dicitur.

P

PETRA et Graecum et Latinum nomen est, unum
idemque in utraque lingua significans; unde et Petri
apostoli nomen in utraque lingua eandem invictae fidei
significantiam a petra derivatam continet.

PLATEA similiter in utraque lingua unum idemque
significans; sed, ut etymologiae ratio probat, a Graeca
origine nomen tractum atque a *latitudine* derivatum est,
quoniam Graece πλάτων dicitur *latum*.

PRO, praepositio, significat *ante*, ut:

Soli pro portis Messapus et acer Atinas
Sustentant aciem.

Ponitur et pro praepositione *in*, ut dicimus, *pro rostris*,
pro tribunali; et pro eo quod est ἀντὶ apud Graecos,
ut: *Pro dulci Ascanio veniat*, et pro eo quod est ὑπὲρ, ut,

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum
Praedicam.

PUDET *me amoris*. POENITET *me muneris*.
PIGET *me profectionis*. PATIENS SUM *laboris*.
PERTAESUM EST *me injuriae*. PLENUS
SUM *bonorum*, et *bonis*.

PRAEEO *illi*. PALPOR et PALPO *equo*.
PRAECURRO *praetori*. PROCURO *pupillo*, et
CURO *pupillum*.
POTIOR *fructus* et *fructum* dicitur, apud antiquos
POTIOR *hanc rem*.

PRAEDA victos spoliat. RAPINA subito venit.
PAX singulariter solum effertur. Sallustius: *Paces*
retulit; judicia, bella atque paces.

PROSAPIA id est ingenuitas, quae Graece
vocatur εὐγενία, singulari tantum numero gaudet.

PELAGUS similiter.

PUGILLARES, PROCERES, PRIMORES, POSTERI,
pluralia tantum; sed nostri
auctores *pugillarem* singulariter dixerunt. Sic et in
genere feminino PLAGAS, id est retia, et PRIMITIAE,
et in neutro.

PRAECORDIA, PALARIA, cum milites ad palos exercentur.

PROCASTRIA, quae ante castra sunt.

PORRUM, sing. neutrale, pluraliter *hi porri*.

PROVERBIUM, Latine παραβολή, generis feminini; inde nomen apud Septuaginta interpretes libri Salomonis, παροιμίας.

PIUS et *piissimus* comparativum gradum non recipiunt.

POTIOR et *potissimus* positivum non habet.

PROPRIUS non habet comparativum, aut superlativum, sed pro his *magis proprius*, et *maxime proprius*; sic e contrario, *minus* et *minime*.

PAVEO et PASCO, in eundem concurrunt perfectum, *pavi*.

PENDEO, *pendes*, *pependi*; sin autem habuerit praepositionem, non sic declinantur; sed SUSPENDO, *suspendis*, *suspendi* non *suspependi*.

PASSIM *ubique* significat; ex uno enim Graeco declinatur, quod est πανταχοῦ.

PERINDE, AEQUALITER, SIMILITER: ex uno Graeco ὁμοίως.

PELLO, *pelii*, et *pepuli*; DEPELLO, *depuli*.

PETO, *petivi* et *petii*.

PROSPICIENS *periculi*, vice nominis ponitur participium; et PROSPICIENS *periculum*.

PERENDIE dicitur, sicut HODIE vel CRAS.

PERENDINUS DIES, sicut HODIERNUS, HESTERNUS, CRASTINUS.

POTAMUS eum cui potum porrigimus, et potamus vinum quod bibimus.

PRIMITIAE tantum pluraliter.

PROBO, verbum, duplicem significationem habet. *Probamus* enim quod eligimus, idem approbamus. *Probamus* autem quae qualia sint tentavimus, ut: *Proba me, Domine, et scito cor meum.*

PECTO caput, non *pectino*; PEXTUM, non *pectinatum*; *pexi memet*, et *pectam cras*.

PRAESAGIO, *praesagis, praesagiunt*.

PAUPERIES damnum est, PAUPERTAS ipsa conditio.

PATRIUM dicimus a *patria*, PATERNUM a *patre*.

PINNAS *murorum*, PENNAS *avium* dicimus.

PECUS, omne animal, excepto homine, vocatur.

POLENTA, non *pulenta*, dicendum est, eo quod ad usus hominum poliatur.

PROOEMIUM cum diphthongo.

PRETIUM, PREMO, PRECOR, per simplicem *e*.

PREHENDO quoque et INTERPRETATOR.

PRECARI est rogare; DEPRECARI, excusare, vel purgare. Virgilius: *Equidem merui, nec deprecor, inquit.*

PLURIS dicimus quod maiore summa taxatur.

PLURES de multitudine. *Plures* comparativi gradus est, cuius positivum *multi*.

POCULUM vas est, POTIO quod hauritur.

PIIGNERA rerum, PIGNORA filiorum et affectionum.

PROCUL, et longe dicitur, et prope: *In clypeo excussa sagitta, proculque auctorem egregium.*

PERTINACIA malae rei perseverantia dicitur, CONSTANTIA bonae.

PERCUSSUM *corpore* dicimus, PERCULSUM *animo*.

PERICULUM ad discrimen pertinet, PERICULUM ad experimentum.

POSTULATUR aliquid honeste, POSCITUR improbe. Cicero in Frumentaria: *Incipiunt postulare, poscere, minari.*

PUBES, cum in juventutis significatione et lanuginis, et partis in qua pubertas est, ponitur, *hujus pubis* facit; at cum aetatem significat, *hujus puberis*; nec tamen, adjecta praepositione, dicimus *impueris*, sed *impubis*: *Comitemque impubis Iuli*, Virgilius dixit. Sed Cicero ait: *Filiumque ejus impuberem.*

PULMENTARIUM et PULMENTUM dicitur; nam Cato in Originum tertio libro, *laserpitium* pro *pulmentario* habet; idem: *Multo pulmento* *usi.*

PODAGROSUS, a *podagra* dicitur; sed et PODAGRICUS, a *pedium* aegrotatione.

PUGILLARES et masculino genere et semper pluraliter dicas, quia *pugillus* est qui plures tabulas continet. Item Laberius, in Piscatore, singulariter *hoc pugillar* dixit.

PAVUS, *pavi*; et PAVO, *pavonis*.

PANNICULAE, *πρωτοτύπιον*, *pannus* est. Lucilius: *Foris subtegminis pannus* *est.*

PAROPSIDES, feminino genere dicuntur, a *pulmentario* videlicet quod ὄψον vocant.

PALUMBES Virgilius feminino genere dixit: *Aeriae quo concessere palumbes*, sed Lucilius masculino, *macrosque palumbes*. Varro autem, in Scauro, *palumbi* dicit, quod consuetudo quoque usurpavit.

POMETA dicimus ubi poma nascuntur, ut OLIVETA.

POMARIA autem ubi servantur.

PENE, quod est conjunctio, per *e*.

POENA, quae est supplicium, per *oe*; similiter et *Poenus*, id est, Afer.

PRAEGNANTEM cum scripto dividis, *g* secundae syllabae nectis; PIGNUS et PUGNA similiter, et caetera hujusmodi.

PROPTER, in divisione scribendi, *p* secundae syllabae jungis; PROSPERE, *s* secundae syllabae.

PARTIO, PRAEDO, POPULO, activo genere nonnunquam proferuntur; item haec ipsa communis generis verbo saepius inveniuntur, PARTIOR, POPULOR, PRAEDOR.

PONO, simpliciter aliquid statuens; DISPONO aliquid operis impensioris vel consilii facturus. Est etiam disponere foederis ineundi.

PROPONO, nonnunquam ad interrogandam quaestionem.

APPONO adjectionis est; IMPONO, insuendi, SUPERPONO, aliquem censum vel laborem unicuicunque indicens.

PRAEPONO, aliquid praeferens, sic et ANTEPONO.

POSTPONO, aliquid inferius indicans; COMPONO, ornandi aut eloquii aut artificii est; SEPONO, separandi; SUPPONO, aliquid subtus inducens; DEPONO, labefactandi est, vel vita excedendi.

PEREGRINUS, nomen, saepe socium et conjunctum sibi nomen aliud dativi casus, ut sancti dicuntur *peregrini huic saeculo*.

PRAESTOLARI, non *praestulari*, quia venit a verbo *praesto sum*.

PUPPIS accusativum casum in *em* et in *im* mittit, ablativum in *e* et in *i*.

PSALLO, perfectum facit *psallui*.

POTIOR, *potitus sum*, et PERFRUOR, *perfructus sum*, ex uno Graeco veniunt, quod est ἀπολαύω.

PASCUAS genere feminino, et PASCUA neutro pluraliter dicimus.

PRIMITIAE numero tantum plurali dicuntur, sed aliquoties singulariter intelligendae, sicut in psalmo *primitias omnis laboris*. In Graeco enim singulariter ἀπαρχῆς habet. Sic et in Apostolo: *Primitiae Christus*.

Q

QUOD, et QUIA, et QUUR, et QUARE, verbis subjuncta, aliquando indicativum verbum trahunt, aliquando conjunctivum. Gregorius: *Noverat quia sine culpa esse vix possent*. Et rursum: *Noverat quia diluendi sunt sacrificiis*. Et rursum: *Recessit a malo, non quia a faciendo continuit, sed quia veniendo reprobavit*. Item dicit: *Quod hoc numero requies designatur*, Item: *Nonnulli sese intrinsecus, quia per eos gratia purgationis derivatur, extollunt*.

QUOTIES, TOTIES, SEPTIES, sine *n*.

QUICQUID et QUICQUAM, in priori syllaba per *c* scribendum, non per *d*.

QUANQUAM, in priore per *n*.

QUORUNDAM, sicut EORUNDEM, per *n* scribendum, non per *m*.

QUERELA, LOQUELA, per unum *l*.

QUATENUS adverbium loci, vel temporis, id est, *quousque*, per *e*; QUATINUS, conjunctio causalis, id est, *ut*, per *i* scribendum.

QUAERITUR, de inquirendo; queritur, de plorando.

QUAESTUS lucri, QUESTUS lacrymarum.

QUERIMONIA quoque per simplicem *e* scribendum.

QUEROR *de te*, QUEROR *tibi de illo*; item CONQUEROR.

QUO *vadis* ad quem locum significat.

QUA *vadis*, qua via dicitur.

QUO aliquando pro *ubi* ponitur. Augustinus: *Invenis domum fumosam, quo boni habitant*, id est, ubi habitant.

QUOT, ad numerum pertinet, sicut et TOT.

QUANTI et TANTI ad mensuram; sed nostri auctores aliquoties *quantos* pro numero ponunt. Gregorius: *Sed cum rete magnis piscibus plenum dicitur, additur et quantis, scilicet, CL tribus.*

QUANTUS, quam magnus dicitur.

QUOTUS, cujus aetatis; unde et *quota luna* dicitur. Augustinus: *Quotus quisque apparere et existere potest, qui non convincatur esse peccator*; id est, in qua aetate, quo dierum vel annorum numero.

R

RADIUS masculino, non *radium* neutro.

RUBOR coloris est, ROBUR virtutis; Robor arboris.

RAPIO *tibi pecunias*.

REDOLEO *unguentum*.

REGIUM dicitur quod regis fuit, REGALE quod rege dignum est.

RABIES tantum numero sing.

RELIQUIAE et ROSTRA, ubi concionatur, tantum pluraliter.

REMEDIUM submovet imminencia pericula, MEDICAMENTUM sanat illata. Remedium itaque ne periclitemur, medicamentum ad subita pericula optatur.

ROSEUM per se, ROSARIUM mistum.

RUDIS comparativum et superlativum non habet, sed pro his utimur adverbiiis *magis* et *maxime*, ut *magis rudis*, et *maxime rudis*.

RECENS *feci* dicimus, non *recenter*, utentes nomine pro adverbio.

Ῥύθμος Graece, Latine MODULATIO.

Ῥυθμίζω MODULOR.

S

SUPER, praepositio, modo ponitur pro *de* ut:

Multa super Priamo rogans, super Hectore multa.

Modo et pro praepositione *pro*, ut: *Nihil super imperio moveor*.

Et pro *insuper*, et *amplius*, ut:

Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.

Et pro *desuper*, ut: *Et super e vallo prospectant Troes.*

Et pro *superest*, ut:

Illi autem neque fuga jam super ulla pericli.

Interdum et *ultra* significat, ut: *Super Garamantas et
Indos Proferet imperium.*

SUB, praepositio, significat
modo *supra*, ut, *corpora saltu subjiciunt in equos*; id
est, *supra* jaciunt. Modo pro praepositione *in*, ut:

Namque sub ingenti lustrat dum singula templo;

Id est, in templo. Significat et *prope*, ut, *Classemque sub
ipsam Antenore*. Ponitur nonnunquam
pro *clam* ut *Subripuit*, id est, clam rapuit.

SIMILIS SUM *tui*, moribus; SIMILIS *tibi*, facie.

STUDIO *tibi* feci; id est, dum studeo tibi.

STUDIO *tui* feci, id est, te studente.

SARTRIX, vel SERTRIX, quae sarcit.

SUBIGO *hostem*, perfectae formae est

SUBAGITO, frequentativum.

SALUBRE, ad locum refertur, et ad cibum.

SALUTARE, consilium est. Ita SALUBRE non nocet,
SALUTARE prodest.

SUPELLEX, SANIES, SOCORDIA, SITIS, et in neutro
SULPHUR, SCRUPULUM, SINAPI, SILER, singularia

tantum sunt, sed Virgilius, *sulphura viva*; et Terentius masculine *scrupulum* retulit.

SENTES, id est, spinae; et SARCINAE, cum vasa significat; et SARCINAE, id est, auxilia; et SCOPAE, et SALINAE, et SCALAE et in neutro SPONSALIA, semper pluralia; sed nostri *scalam* dixerunt.

SPONTE *mea venio*, non habet plures casus.

SI *amem, ames, amet*, declinatio est verbi conjunctivi, sicut cum dicimus, *cum amem, ames, amet*.

SCYLLA, nomen habet a spoliando, sive vexando, nautas.

SPOLIO vero, Latine, Graece dicitur SCYLLO σκύλλω et VEXO.

SANNO, *sannis, sannui*. Hoc SANNIUM, querela.

SORS *sortis*, et SORS *sordis* dicitur.

Ambrosius: *Mundat vasa, ne sors aliqua vini gratiam decoloret*, tametsi negant quidam sordem nominativum casum habere.

SI vel ETSI, nonnunquam indicativum verbum trahunt.

Gregorius: *Frustra miraculum foris ostendimus, si deest quod intus operetur*. Item: *Quae etsi ad perfectionem non pertinent, fidem tamen tenent*.

SENSUS nomen est quartae declinationis, et participium praeteriti temporis a verbo passivo, quod est *sentior*, cujus etiam perfectum est, *sensus sum, es, est*, non *sentitus*.

SECTURUS, non *secaturus*, a verbo quod est *seco*.

SCAMMA sunt quae lectis altioribus apponuntur.

SCABELLA quae lectis parvulis vel sellis ob ascensum apponuntur. SCABELLUM autem et SUPPEDANEUM dicitur quod sub pedibus sit.

STERCERATOS *agros*, non *stercoratos* dicas, quibus stercus ad fecundandum infertur.

SOLEMNEM cum dicis, sive scribis, *m* sequenti syllabae connectis. SOMNIUM similiter.

SAEVUS, *saevio*, *saevi*, *saevisti*, per *ae* diphthongum.

SERO, *sevi*, *sevisti*, per *e* simplicem.

SAGENA per *e* cum retia significat.

SAGINA per *i* positum pro pinguedine.

SOL in utroque numero declinatur; sed singulariter sol ipsum luminare significat; at soles ipsos dies nominamus, in quibus sol totum illuminat mundum: nonnulli tamen veterum ipsa carmina *Soles* nominare, sicut Horatius in principio cujusdam voluminis, quem ita exorsus est: *Soles meos omni Ecclesiae vestrae commendo*. Et Maro:

.	.	.	.	.	Saepe	ego	longos
Cantando	puerum	memini	me	condere	soles.		

SECUNDUM, praepositio est imitationis. POST, temporis, sive ordinis.

SEGNITIES, vitii. SEGNITIA, frigoris.

SUBSCRIBO epistolis. SUPPLICO similiter, ut: *Supplico divinae pietati*.

SIMPLEX, ablativum et in *i* et in *e* mittit, genitivum pluralem in *um* et in *ium*, ut *ab hoc simplice* vel *simplici*, *horum simplicum* et *simplicium*.

SUAVIS, ablativum casum in *e* et *i* mittit.

STACHYS, σταχύς Graece, Latine SPICA.

SANDALIA Graece, neutro genere, CALIGA Latine.

SERTUM et CORONA ex uno Graeco transferuntur, id est, στέφανος.

SOLIUM, proprie sedes regalis est, unde Graece βασιλικός θρόνος vocatur.

SENEX et *senior* superlativum gradum non habent.

SOBRIUS, nec comparativum recipit, nec superlativum; sed pro his dicimus, *magis sobrius* et *maxime sobrius*.

SENECTA et SENIUM. *Duo nomina senectutis sunt, et discernuntur a Graecis, apud quos aliud nomen habet gravitas post juventutem, aliud post ipsam gravitatem veniens ultima aetas. Nam presbyter dicitur gravis, et γέρων senex; quia vero in Latino duorum istorum nominum disjunctio defecit, de senectute ambo sunt posita senecta et senium.* Haec Augustinus. At Gregorius: *Undecima vero, inquit, est aetas, quae decrepita, vel veterana dicitur; unde Graeci valde seniores non γέροντας, sed presbyteros appellant, ut plus quam senes esse insinuent quos provectiores vocant.* SUSPIRO verbum trahit nomen dativi casus et accusativi, ut: *Suspiramus patriae coelesti*, et: *Suspiramus regnum Dei*, et, praepositione addita: *Suspiramus ad vitam immortalem*.

SUBDUCIMUS et quae retro subtrahimus, et quae in promptu offerimus.

SUPREMUS, summus et ultimus, et superiorem et inferiorem significat.

SUPEREST, quod eminet.

SUPRA, quod aliquid substratum habet.

SUBTER est quod re aliqua superiore premitur.

SUBTUS, quod demissum ab altiore non tangitur.

SERVITIUM, multitudo servorum.

SERVITUS, conditio est serviendi; sed veteres indifferenter servitium et pro servitute posuerunt.

SINAPI, sicut et GUMMI, Graecum est, et Plautus dixit *Teritur sinapi*, cuius genitivus cum *s* profertur, caeteri casus similes sunt nominativo.

SIBILUS dici oportet. Virg. in Bucolicis:

Nam neque me tantum venientis sibilus Austri.

Sed et neutro genere quidam dixerunt, ut Cornelius Severus:

Et suaviter concordant sibila saeva diacones.

Et Macer:

Theriacon longo resonantia sibila collo.

SERENUS, suave sibilum.

SAL, et masculino genere et neutro dicitur

SATURITAS in cibo tantum dicitur, in caeteris vero SATIETAS; sed Virg.: *Odii saturata quievit*.

SIMIAM auctores doctiores dixerunt etiam in masculino.

STRIGEM *hanc*, in significatione avis dicas; STRIGA autem castrense vocabulum est, intervallum turmarum significans, in quo equi stringuntur; unde etiam *strigosi* dicuntur corpore macilento.

STIRPS, in significatione sobolis, feminino genere dicitur; sed cum materiam significat, masculino modo stirpem recisum dixerunt; tamen etiam in significatione

sobolis, masculino genere, ut Pacuvius: *qui stirpem occidit meum*.

SERO *rumores*, id est, divulgo; et *sero fruges, sevi*.

SERO, id est, claudo (unde et *sera* dicta est) *seravi*. Terentius, *Tu abi, atque ostium obsera intus*.

SUFFRAGOR, non *suffrago*: et SUFFRAGATUS SUM, non *suffragavi*.

SORBEO, *sorbui*, et non *sorbsi*.

SOMNIO, non *somnior*; SOMNIAVI, non *somniatus sum*.

SANGUIS est, dum manet; effusus vero, CRUOR.

SUMIMUS ipsi, accipimus ab alio; sic cum damus, dicendum *Accipe*; cum permittimus ipsi tollere, dicendum *Sume*.

SCORPIO bellica res est; at SCORPIUS, animal.

SCRIBO, *scripsi*, *scriptum*; cum vocalis sequitur, *b* debet esse; cum consonans, *p*.

SACER et venerandus, et execrandus. Virg.: *Auri sacra fames*.

SUFFRAGIA populi, et quae honorant dicuntur, et quae damnant.

T

TESTOR aliquid, confirmans sententiam;
CONTESTOR, cum quadam auctoritate affirmans;
PROTESTOR, manifeste cavendo denuntians;
OBTESTOR, aliquem jurare compellans; ATTESTOR,

ad testimonium vocans qui sit dignitate vel auctoritate eminens; DETESTOR, aliquid exsecrandum respuens. TRUX ablativum in *i* et in *e* mittit, genitivum pluralem in *um* et in *ium*.

THERION, Graece θηρίον, Latine FERA; unde *theriaca*, quia feraliter occidit.

TACITURNITAS loquela contraria est; SILENTIUM, confusis vocibus sive tumultibus: verum sciendum quia SILEO et TACEO, et CONTICEO et RETICEO, ab uno Graeco veniunt σιωπάω.

TENAX *beneficii*, id est, memor gratiae.

TORQUES, nomen generis communis; nam et in Mario Livius genere masculino, et Cicero *torquem* feminino posuere.

TRIUMPHAT *nos* Deus, cum superandi hostes auxilium tribuit. *Deo* (inquit ille) *gratias*, *qui semper triumphat nos in Christo Jesu*; et iterum: *Expolians principatus et potestates, triumphans illos in semetipso*.

TRANSMIGRO, cum de loco ad locum iter facio; item *transmigro* dicitur, cum additamento accusativi casus, cum aliquem de loco ad locum transfero, ut: *Nabuchodonosor transmigravit Judaeos de Jerusalem, et emigravit de tabernaculo*. Porro exemplum verbi superioris: *transmigra in montem sicut passer*.

TRANSMIGRANS, participium, aequè dupliciter, et de loco ad locum transiens aliquis, et alium de loco ad locum transferens intelligitur.

TURTUR, et masculino genere et feminino profertur, tunc temporis adverbium est, tum ordinis.

TERGA *hominum* sunt, et singulari numero *tergum*.

TERGUS *quadrupedum*, pluraliter facit *tergora*, id est, coria.

TINGUERE dicendum, non *tingere*.

TEMERITAS, sine consilio; AUDACITAS post concilium.

TEMPERANTIA *animorum*, TEMPERATIO *rerum*, TEMPERIES *aurarum*.

TAPETE, *tapetis*, et *tapeti*; et pluraliter *tapetia*, *tapetium*, *tapetibus altis*; sed et *hoc tapetum*, *hujus tapeti*, *huic tapeto*; et pluraliter *tapeta*, *tapetorum tapetis*. Virgilius:

Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.

Sed et masculino genere dicit: *pictosque tapetos*.

TURBO, si sit proprium, *turbonis* facit; nam sive ventus, sive quo ludunt pueri, *hic turbo* dicitur. Virgilius: *Torto sub verbere turbo*.

TUMULUS, et tumens tellus, et mons brevis, et sepulcrum aequè vocatur.

TELONEUM per *t* simplicem, non *thelonium*, aspiratione addita. Est autem Graece τέλων [*Forte τελώνιον*], Latine VECTIGAL.

TABES, tantum singulariter dicitur.

TENDICULAE et TENEBRAE tantum pluraliter.

USQUEQUAQUE, omnimodo significat, pro quo in psalmo Graeco, ἕως σφόδρα legimus, quod significantius Latine potest *usque valde* interpretari.

UT, modo temporis adverbium est, et significat *postquam*; modo qualitatis, et significat *quemadmodum*; modo optandi, et significat *utinam*; modo mirandi, et significat *o quam*; modo conjunctio causalis, ut: *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.*

UTOR *divitiis* et *divitias*.

ULTERIOR et *Ultimus* positivum gradum non habent.

UTERQUE de duobus dicimus; UTRIQUE, de binis aut de pluribus ex utraque parte positus. *uterque venit, utrique venerunt.*

ULTUS, et vindicatus et punitus.

ULCUS, quod nascitur.

URGEO, non *urgo*. Virgilius: *Quibusve urgentur poenae.*

UNGO, *unxi*, quomodo PINGO, *pinxi*: utrumque sine *u*; attamen derivatum *u* addit, ut, *pinguis, unguine ceras*: ita ut *unguentum*, non *ungentum* dicatur.

V

VACAT mihi, Graece σχολάζω.

VACO militia, perfectum *vacavi*.

VULGUS, neutri generis est, et pluralem numerum non habet; sed Virgilius masculine *vulgum* extulit, ut: *Hinc spargere voces in vulgum ambiguas*.

VAS, *vadis*, generis masculini:

VAS, *vasis*, neutri, de *vasculo*.

VIS duplicem habet significationem, et virtutis videlicet, quae Graece δύναμις dicitur, et violentiae, quae Graece βία vocatur.

VECORDIA et VIRUS tantum singulariter efferuntur.

VEPRES, et VERBERA, et VISCERA, non habent singularem declinationem, nisi tantum *verbere* et *viscere*. Virgilius: *Et torto volitans sub verbere turbo*. Et Ovidius: *Viscere diviso*.

VER semper singulare.

VERVEX, id est ovis, a *v* littera incipiendum.

VERUS, ad naturae tantum veritatem refertur.

VERAX autem dicitur qui non mentitur; unde verus daemon dici potest; verax autem non potest.

VALLESTRIA agrorum, sicut et CAMPESTRIA dicuntur.

VETO *culpam*, et VETO *a culpa*, id est, prohibeo a culpa. Sedulius: *Pomisque vetaret acerbis*, id est, a pomis. Et Fortunatus:

Non vero conjugium, sed praefero virginis alvum.

VULTUS mutatur, FACIES manet.

VAE dativus et accusativus sequi debent, ut Alius (*sic*): *Vae populo Maurorum! vae populum Maurorum!*

VENEUNT, qui venduntur.

VELOCITAS *pedum et corporum*, CELERITAS *animatorum et factorum*.

VULNUS quod per alium fit.

VULTUR dixit Virgilius in sexto; sed et *vulturius* Lucilius primo.

VERBUM est omne quod lingua profertur et voce; SERMO autem, cujus nomen ex duobus compositum, *serendo et movendo*, comptior ac diligentior sit; SENTENTIA vero quae sensu concipitur. Porro LOQUELA cum quadam eloquentia dictionis ordo profertur. Oratio, cum usque ad manuum artem describendus orationis sermo pervenit.